

jus utendi ratione monita breviter adjiciamus. Quemadmodum vero nullum optimum etiam medicamentum semper juvat, quin potius improvide & intempestive datum nocet, ita etiam nulla hac in re camphora gaudet prærogativa. Nam & ratio dictitat & experientia confirmat, quandoque oriri ab ejus improvido usu anxietates circa præcordia, cephalalgias augeri, ad perpetuum destrui. Fit hoc maxime in iis, qui infirmioris sunt naturæ & facile a levi mutatione lœduntur. Accidit quoque in iis, qui capitis & cerebri vasa sanguine & humoribus repleta habent seu ubi inæqualis humorum circuitus est, & cum impetu sanguinis forsan propter membranarum & vasorum atoniam ad caput ruit, quod ex facie tumida & rubicunda, dolore capitis gravativo, vertigine, torpore, somnolentia adpareret. Quo casu utique omnia volatilia & vaporosa spirituosa præsertim in majori dosi exhibita nocent. Quare etiam Paralyticis, Epilepticis & convulsionibus diris afflictis cum cautione & parca manu sunt concedenda. Neque minus congrua præsertim in excessiva dosi sunt plethoricas & repletis corporibus, utpote motum intestinum, in humoribus, quorum liberior cursus ac iter impeditur, efficiunt &, ut dici solet, movent, sed non promovent, hinc anxietates & inquietudines vel producunt vel augment. Neque in alvi adstrictione utilia sunt, quia fibras intestinales siccando nimum efficiunt, quo alvus tardior descendat. Deniq; in omnibus acutis, ubi omnia interius fervent & ardent, humidumq; deficit, cutis sicca & torrida est & omnia constricta sunt, ea remedia, quæ motum intestinum augment interius, nequaquam locum inveniunt. Præstat etiam tali in casu lenissime agere & naturæ potius frenum, quam stimulum injicere: nam in acutis nihil præcipitandum est, sed omnia moderate ac tempestive sunt agenda. Quapropter in horum morborum augmento vel statu cautissime procedendum est. Tuttius in principio vel instantे crisi, si natura eget stimulo vel sub declinatione, locum habent.

F I N I S,

207

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
 DE

# VESICATORIO- RVM PRÆSTANTI IN MEDICINA VSV

QVAM

AVSPICE DEO OPTIMO MAXIMO  
 SVB PRAESIDIO

DNI. FRIDERICI HOFFMANNI  
 FACULTATIS MEDICÆ SENIORIS ET h. t. DECANI

PRO GRADV DOCTORIS

RITE AC LEGITIME OBTINENDO

*Ad d. Maii A.R.S. M DCC XXVII.*

SOLENNI DOCTORVM EXAMINI SISTET

MATTHIAS IACOBVS BACMEISTER.

AVRACA - FRISIIS - ORIENTALIS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
 Typis, IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

SERENISSIMO PRINCIPI AC  
DOMINO  
**DOMINO**  
**GEORGIO**  
**ALBERTO**

PRINCIPI FRISIÆ ORIENTALIS DO-  
MINO ESENÆ STEDESDORFFII ET  
WITTMUNDÆ &c.

PRINCIPI ET DOMINO SVO  
LONGE CLEMENTISSIMO

DISSERTATIONEM HANC IN SIGNVM SVB-  
MISSÆ VENERATIONIS

D. D. D.

Matthias Iacobus Bacmeister.



Q. D. B. V.  
DE

# VESICANTIVM VSV MEDICO.

PROOEMIVM.



Otum hominem morbum esse, vetus quidem & vera est paroemia, nec ulla in corpore humano pars, quæ non multifariis vitiis ac morbis patet: sed tam immensa quoque summi Numinis benignitas, ut tota natura sit medica, nec quicquam fere in tota rerum universitate, ipso veneno, aut vilissima fere quacunque non excepta, quod medicinali non gaudet virtute. Testes iam producimus cantharides, abiectum insecti genus & muscas vere venenatas, singularis tamen & mirabilis plane in gravissimis etiam morbis, vesicatorio scopo perite usurpatas, utilitatis. De harum usu acris inter celebris no-

A 2

minis

minis Medicos viguit contentio, aliis ipsas ob virulentam nervosas partes in vehementes præter naturam motus abripiemt indolem, penitus e foro medico proscriptibentibus; aliis contra ipsarum usum in multis & valentibus morbis, reliquis omnibus incassum adhibitis, spectatissimum & in magno pretio ceu secretum habendum, contenditibus. Neminem certe in medica historia vel leviter veratum latet, quam acriter de hoc arguento elapsò sèculo in Italia HERCVLES SAXONIA & ALEXANDER MASSARIAS, illo utilitatem, hoc novam defendant, publicis scriptis decertarint. Et qui practica Medicorum scripta lustrat, perspicit ultiro, ex recentioribus BAGLIVVM minus favere vesicantibus, quæ a SEVERINO, SEPTALIO, HOLLERIO, mirifice commendantur. Longe magis adhuc in determinando specialius cantharidum usu in diversum abeunt medentes, & quæ a quibusdam in continuis, malignis & exanthematicis febribus ad materiæ virulentæ prolectionem ad corporis corticem, quam maxime laudantur vesicatoria carpis manuum apposita, ab aliis penitus reiiciuntur & pro gravissimorum symptomatum, immo ipsius mortis causa, venditantur. Ne dicam, recentiores multos, post inventum sanguinis circulum, vesicatoriorum & que ac fonticulorum usum sterilem plane censere atque inutilem. Quod vero maxime mirandum, neminem ex omnibus his invenies, qui non rationes in demonstrationem afferat & ipsam experientiam demum confidenter in par-

tes vocet, ut certe in diffìcili sit iudicare, cui tandem assensus præbendus. Ut igitur veritas eruat & quid cantharidibus tribuendum patescat, exuto omni auctoritatis aut alio quoque præiudicio, methodo rationali utendum, & ex plurimis observationibus ac morborum historiis in vesicantium effectus, vires & facultates inquirendum, ac postea indagando principia & modum quibus eiusmodi rémedia agunt in corpus, certis atque indubitatis rationibus, eorum usus salubris, vel insalubris evolvendus & adstruendus. Quod quidem curatius paullo exsequi & de *vesicatoriorum usu medico* differere, iam nobis constitutum. Annuat labori Summum Numen clementissime, quo in artis salutaris commodum cedat feliciter.

## S. I.

**A** Gemus igitur de vesicatoriis, cuius virtutis quidem plura innotuerunt præsidia, ut euphorbium, flammula Iovis, ranunculus, siiccus esula variisque generis insecta, potissimum tamen cantharides, Germanis die Spanischen Fliegen, sunt solenne illud instrumentum, quocum vesicatorius perficitur effectus. Quare missis aliis, has in præsentiarum maxime disquisitioni subiiciemus, inquirendo primum in earundem indolem, modum & principium agendi. Iam autem de cantharidibus asserere non dubitamus, eam illarum esse indolem, ut inter formalia referri mereantur venena. Venenum enim illud merito nobis audit, quod exili mole corpus subiens, nervosas maxime partes subito & vele-

menter, tam interne, quam externe adoritur, ac tenui penetranti suo principio, brevi tempore magnas mutationes easdemque perniciose inducit.

## §. II.

Talem vero cantharidibus inesse venenatam facultatem, plura sunt quæ confirmant. Nimis quem in corpore præstant effectus, testatum primo facit ipsas virulentum quoddam causticæ indolis recondere elementum. Etenim DIOSCORIDES iam notavit, easdem interius sumtas renes & vesicam exulcerare, mictionem cruentam, puritum in pudendis venerisque ciere stimulum. GALENVS lib. IV. de med. simpl. facult. cap. 18. monet: ne quis easdem degustare audeat, propter erosionem interitem, AVICENNA lib. II. tr. II. de virt. medic. singui. cap. 205, ipsis acrem, acutam, putrefactivam & aduentem facultatem conceptis tribuit verbis. Quibus addenda merito singularis BARTHOLINI. Cent. III. his. nat. 16. observatio, de devorato ex errore vesicatorio, quo fauces corrosæ & cruciatus circa vesicam exquisiti fuerunt induci. In primis BAGLIVVS opp. pag. 647. sqq virulentam cantharidum naturam pluribus luculentiter adstruxit experimentis, memorans: binos canes, injectis in apertam venam ingulariem per syringam duabus tincturæ cantharidum cum aqua cardui benedicti factæ unciis, primum aqua & viscosa vomuisse, postea humi cecidisse, vehementissime sitiisse, alimenta respuisse ac demum convulsos periisse. Hinc etiam est, quod deleterius iplarum effectus, non nisi iisdem quam fortissimorum venenorū antidotis, lacte nempe & pinguibus, obtundi possit atque præscindi, ut quidem ex priscis iam PLINIVS, DIOSCORIDES ipseque CELSVS testantur.

## §. III.

## §. III.

Adhæc tenue admodum, subtile & maxime penetrantis indolis est id quod in cantharidibus delitescit elementum, ut vel extimæ corporis parti admotæ, prompte intima penetralia subeant ibidemque gravia multa inducent pathemata. Vberius hoc & quasi totidem argumentis omnia ab auctoribus de vesicantium noxa passim annotata exempla evincunt. Inde enim mihi cruentum cum vesicæ exulceratione productum TIMAEVS lib. VII. cap. 20. ZACVTVS LVSITANVS, Medit. princip. his. lib. II. his. 117. PASCHALIVS meth. cur. morb. cap. 44. BRASSAVOLA comment. ad aph. 17. lib. I. perhibent. Deinceps HILDANVS cent. VI. obs. 98. 99. vesicatorium ex cantharidibus febres, dolores & urinæ ardores concitasse testatur. THONNERVS lib. I. obs. 20. convulsiones epilepticas in febribus inde derivat. BALIVVS cap. II. de incommodis ab usu vesicantium, in iis, qui graviter capite vulnerati, inde vomitum cum abolitione sensuum & vehementissimis convulsionibus, alios lethalibus frigidis sudoribus perfusos, sequenti nocte coayulsione mortuos, annotavit. Idem etiam I. c. medianit, quandam torminibus spasmodicis cum febre moleste laborantem, post appositum vesicatorium multum sanguinis rubicundi per secessum excrevisse & paullo post periisse. Neque minus RIVERIVS Cent. IIX. obs. 88. cantharides externe applicatas gangrænam induxisse auctor est, quod etiam ROLFINGKIO in extrema senectute obtigisse ipsumque e medio fustulisse constat.

## §. IV.

Quod autem subili hac & caustica cantharidum acrimonia exquisitæ sensationis partes nervoso-membranaceæ afficiantur & ex parte corrodantur, vel in vehementes spasmodicos motus abripiantur, præter iam enun-

mera-

merata symptomata, ingentem ad urinam stimulum, vesicæ excoriationem, mictum cruentum, vomitum, intensam fritim, pulsuum celeritatem; is de quo iam agimus vesicatorius ipsarum effectus, quem in pulvere, cum saliva aut fermento panis in pastam redactæ & applicatæ cum dolore exsequuntur, testatur. Subiectum enim huius operationis non est extimum illud, tenue, sensus expers & ex multis squammulis emergentibus inter interstitia porulis conflatum corporis integumentum, sed substrata huic proxime suprema & corticalis quasi cutis, ex tenuissimis papillulis nerveis & fibris tendinosis, nec non innumeris vasculis, quæ fines sunt arteriolarum, & partim humorem nutritum, partim salinum excrementarium, qui vel sub vaporis forma in perspiratione insensibili modo exhalat, vel sudoris forma conspectus stillat, vehunt, conflata substantia. Ad hanc dum tenuissimæ salino-acræ causticæ cantharidum moleculæ penetrant, obvias nerveas fibrillas vellicant, tubulos humore plenos stringunt partim, ut advectum liquorem largius effundant, partim tenuissima eorundem oscula corrodunt & exulcerant, ut non secus ac post ambustionem divulsis ac dissoluis iisdem, humor copiose exstillet. Qui quum ob copiam & crassitatem exiles cuticulæ porulos permeare nequeat, abscedente hac, subitus colligitur & collectus tandem in vesicam elevat.

## §. V.

Proprius quippe est hic agendi modus omnibus venenis, quæ penetrantissimæ indolis & tenuissimis particulis effectum exsequuntur, ut nervosas in quibus adhuc sensus & motus viger partes aggrediantur & per spasticas stricturas humorum congestiones, inflammaciones ac demum plane sphacelationes efficiant. Et hinc utique ratio petenda, quod vesicatoria ex cantharidibus nec tam

tam crasso modo, ut actuale vel potentiale cauterium destruant & exedant cutaneam cum musculari substantiam, nec in cadavere, nec membris sensu defitutis, vesicantem exserant effectum, haud secus ac de arsenico albo, vitro antimonii & croco metallorum constat, quod vulneri, vel ulceri vivi corporis inspersa, insitam septicam vim efficaciter edant, in mortuo secus. Quare etiam attentiores Practici non modo minus fausti eventus, sed & plane certum mortis signum esse perhibent, quando vesicatoria apposita, in morbis præsertim acutis, vesicas non excitant, sed effectu prorsus destituuntur, ut quidem inter alios auctor est FREND comment. de febb. pag. 142.

## §. VI.

Quum itaque cantharides in nervosas corporis partes agant, & salubris ipsarum effectus non tam ab illa lymphæ quam eliciunt per vesicas copia, quam potius a stimulo, quem nerveis fibrillis ad motum auctiorem & excutiendam incumbentem quæ in vitio est materiam inferunt, dependeat; in proclivi est iudicare, easdem in illis affectibus, qui ex languore & imbecillitate motus proficiscuntur, ubi stimulo & incitamento opus est, in corporibus temperamenti & naturæ segnioris, phlegmaticæ & melancholicæ constitutionis, habitus spongiosi & obesi, nec non sequiori sexu, item in regionibus septentrionali vicinis, frigidis & humidis, eximii & saluberrimi esse usus. Quum porro nervosæ omnes corporis partes conspectus conspirent & mutuo annuant, ita ut ex una in alteram oblati medicamenti effectus promte propagetur; idemtidem luculenter patet: vesicantium ex cantharidibus virtutem, ex nervea quam proxime afficiunt cutem latius diffundi & amplissimum illorum in variis remotorum partium vitiis esse usum. Egregie hanc in rem

scribit & vesicatoriorum virtutes in compendio exhibet FREIND *l. c. p. 143.* Verisimile est, inquiens, cantharides etiam cum cuti admota sunt, altius pervadere. Alter enim qu modo contingere, ut in pleuritide, in peri pneumonia, in distillatione, in gravedine nervorumque diffidentibus, egrezie valeant cantharides cuti apposita? ut dolores coxarum præcipue, pervertustos tollant obstrunctionesque liberent? ut iis demum appositis, tumores sese ad perspirandum magis accommodent, ut sudores facilius fluant, ut pustularum omne genus a cute promptius foras emicet?

## §. VII.

Sed quo spectatissima vesicantium ex cantharibus in variis morbis virtus testatius paullo patescat, e re omnino erit, ut quid per experientiam de ea constet & in observatis Medicorum passim annotatum, edisseramus. Nimurum, ut a capite ordiamur, inter eos qui magnifice admodum de cantharidibus sentiunt, præter SEPTALIVM, HERCVLEM SAXONIA & FREINDIVM est maxime SEVERINVS, qui in *pyrotechn. chirurg. lib. II. cap. 8.* vesicatoriorum usum ad plurimos affectus conducibilem tradit, eo quod revellant, divertant, attrahant & evacuent simul, non solum ex propinquioribus, sed & remotioribus locis. Potissimum tamen in dolore capitis essentiali & contumacissima cephalalgia frequentissime applicanda suadet, ita quidem, ut capillatio deraso, vel parti solum dolenti, vel toti capiti, in forma cucupha imponantur. Idem censem HOLLERIVS, qui inter Gallos maxime & primus fere vesicatoriis usus est, in *instit. chirurg. lib. III. cap. 5.* ubi de pyroticis agit, afferens: quod ope vesicarum quas cantharides excitant, coxarii, podagrici, hemicranici, cephalalgici sèpenumero relevventur, viscera repurgentur atque corpus a sordibus &

ex-

excrementis liberetur & sexcenta vitia vetusta contumaciaque percurentur. Neque minus incomparabilem operem vesicantia in contumacissimo capitis dolore præstissime uberius confirmat SEPTALIVS in *animado. & caution. lib. VI. caut. 18. & 55.* nec non RIVERIVS cent. I. obs. 37. TVLPIVS cephalalgiam periodicam per vesicatoria occipiti admota se curasse lib. I. obs. 37. testatur. Et MVYS in *prax. chirurg. rational. Dec. II. obs. 2.* dolorem capitis, apposito parti affectæ cantharidum pulvere cum saliva in pastam redacto, sequenti die evanuisse memorat. Quin ipse HIPPOCRATES vesicantium ad capitis cruciatus usum innuisse videtur, dum lib. I. coac. scđ. I. 23. eruptionem capitis dolorem solvere prodidit.

## §. IX.

Pariter in aliis capitis affectibus vesicatoriorum usus ut laudatissimus a quamplurimis celebratur. In mania quidem ROLFINCKIVS in *ord. & meth. cogn. cap. aff. diff. V. pag. 23.* eadem summe proficua esse aferit, si scapulis, si brachiis admoveantur. In epilepsia idiopathica derasis capillis per universum caput vesicantia applicare iusserunt SEPTALIVS lib. VI. cap. 29. RIVERIVS *Prax. lib. I. cap. 8.* PISO de *morb. ex colluv. seros. cap. XIX.* hac cum præceptione, ut vesicæ diu serventur aperæ, quo continuo per easdem fluat humor. Sympathicum epilepsiam TRALL ANVS herba lepidii vesicante, loco illi a quo aura frigida ascendebat apposita, abegit. Et quæ plura de vesicatoriorum in epilepsia salubri virtute consignarunt PLATERVS *prax. lib. I. cap. 2.* HENR. ab HEER *obs. 20.* WEDELIVS *amoeniss. mat. med. lib. I. scđ. II. cap. 6.* In epilepticis infantum convulsionibus Th. WILLISIVS de *morb. convuls. cap. 4.* in nucha & pone utramque aurem vesicatoria apponere

B 2

sua-

surasit, quo per eadem cum reliquo latice seroso plures heterogeneæ & morbificæ particulæ simul effluant. In cuius confirmationem idem auctor *l. c. cap. 3.* exemplum assert pueræ, quæ quum epileptico insultu correpta in candentes carbones cecidisset, facies quidem & sinciput tam misere concremata sunt, ut crano cute & carne denudatis eschara lata & profunda inusta sit, sed ægrotat interim quandiu ulcera inusta manarunt, paroxysmis cauit, simulac autem sanata sunt, caducus rediit. Quo etiam referenda HIPPOCRATIS observatio, qui *lib. de morb. sacr.* prohibet, ulcera capitis manantia si hiant pueris, eos a comitiali morbo liberare.

## §. IX.

Accedunt soporosi affectus ipsaque apoplexia, ad quos dispellendos quam maxime proficia celebrantur vesicatoria, sed augenda dosis. Commendantur autem in soporosis passionibus a RIVERIO *lib. I. cap. 4.* SEPTALIO *lib. VI. caut. 35.* vertici & sincipiti apposita. Et licet PISO de *morb. rect. cogn. & curand.* *lib. I. cap. 2.* eadem in lethargo cui febris complicata damnet: SEPTALIVS tamen *lib. V. caut. 44.* in lethargo etiam symptomatico in febre, pestilentiali quoque, nullum praestans iisdem se invenisse præsidium testatur; SYLVATICVS vero tutiora ex ranunculo, quam cantharidibus parata indicat, propter urinæ suppressionem.

## §. X.

Ad oculorum porro vitia & mitiganda & abigenda spectata quoque vesicantium virtus. Ipsam coecitatem TULPIVS *lib. I. cap. 10.* vesicatoriis amplis femoribus appositis se persanasse fidem facit; & in lippitudine mirifice eadem profuisse testis est FORESTVS *lib. I. obs. 11.* In ophthalmia quoque egregii sunt usus, sed obser-vavit D.D. PRÆSES, quod in nucha non adeo condu-

cant,

cant, sed potius dolor inde augeatur, quin contra pedibus admota, sepe simulac humor stillare incipit, dolorem levent. Neque minus in gutta serena, suffusione & catarracta, vel incipiente, vel acu iam deposita, vesicas diu apertas gestare suadet RIVERIVS in *prax. lib. II. cap. 10.* Atroce in illum dentium dolorem vesicatoriorum usu promte componi memorant *Misc. nat. curios. Dec. II. An. V. pag. 313.* PARÆVS *lib. VI. cap. 25.* SCHOLZIVS in *confil. med. 72. §. 195.* In tianitu aurium & surditate recenti ad derivationem vesicam in primis colli vertebris palmæ amplitudine excitare iubet RHODIVS *lib. I. cap. 32.* Ad abolendas foedas rubras & ardentes faciei pustulas PARÆVS opp. chirurg. *lib. XX. cap. 28.* vesicantia laudat, & ad ulcerosas resiccandas, idem remedium apprime conducibile iudicat PLATERVS *Prax. lib. III. pag. 619,*

## §. XI.

Præter capitis morbos in aliarum quoque partium vitiis eximie opitulantur vesicatoria. Nimirum ex pectoris affectibus truculentum illud asthma spastmodico - convulsivum, præsertim si ex retrocedente, vel remanente podagra prognatum, egregie levari vesicis in suris excitatis, D.D. PRÆSES multiplici compertum habet experientia, & idem confirmant *Misc. nat. curios. Cent. I. & II. obs. 164.* Vix vero ulla passio est, in qua tam conspicuum opem præsent vesicantia, quam dolores rheumatici & arthritici, potissimumque contumax ille & chronicus ischiadicus dolor, nullam pariter aliam ob causam, quam quod serum acre nervosis & tendinosis partibus firmius impactum in motum cieant & ad evacuationem sollicitent, uti maxime auctor est LAVRENTIVS in *annotatt. ad Guidon. de morb. artic.* LENTILIVS certe in *Misc. med. pract. I. 285.* conceptis scribit verbis: *in ischiatide, reliquis non tuvantibus, vesicatoriorum applico, sed magnum, ves-*

*vesicam apertam teneo per integros octo vel decem dies.*  
 RIVERIVS autem roborans & vesicans emplastrum miscet prax. med. lib. XVI. cap. 2. & fortioribus utendum esse præcipit PARÆVS lib. XVII. cap. 23. id quod etiam inculcant M. N. C. Dec. I. An. IX. & X. pag. 95. Huc quoque referenda quæ SCHEFFERVS in *descript. Lappon.* cap. 27. pag. 35 i. prodidit, memorans: Lapponiæ incolas, quando dolorem articulorum persentiantur, fungum betulæ instar placentulæ inhærescentem, ignitum loco affecto imponere. quo ulcus pravos succos attrahat & dolores componat. Et licet ad podagram abigendam paſſim decantatissimum præsidium sit moxa lndorum, BORRICHIVS tamen Vol. V. Act. Hafn. pag. 183. eandem vix plus præstare afferit, quam usū recepta vesicatoria.

## § XII.

Neque minus ea vesicantium præstantissima facultas, ut humorem acrem malignum intus retentum, vel repulsum, ad extimum corporis corticem allicant & damnata inde oriunda arceant. Certe quam gravia pattemata ab internis partibus incumbente arthritica materia imminet notissimum est; ad quæ omnia præscindenda magnum utique vesicatoria præsidium eamque ob causam magnopere dilaudata a PISONE obſervatt. ſed. V. RIVERIO Prax. lib. II. & m M. N. C. Dec. I. An. II obſ. 214. An. IX. obſ. 34. Idem salubris effectus exspectandus quando materia acris cauſtica in variolis & morbillis, febre quoque petechiali, purpurata, quin ipsa etiam pestilentiali, vel ob languorem retenta, vel ob ſpasum retroacta, nobilibus incumbit visceribus & atrocia ciet ſymptomata. Potissimum D. D. PRÆSES multiplici compertum habet experientia, infantibus succulentis, variolis aut morbillis, mox prodeuntibus, mox relabentibus, exoptatas tulisse ſuppetias vesicatoria, brachiis vel manibus

manibus admota, ipsa vesica in poſito emplastro diapalmæ per aliquot dies aperta ſervata. Laudantur hinc in erito in variolis a SYDENHAMO opp. p. m. 274. nec non MORTONO, ſi non prodeunt, vel mox recedunt. BARTHOLINVS quoque A&H. Hafn. Vol. II. obſ. 36. reperiuſis variolis, quatuor brachiis & femoribus applicuit veſicatoria, eoque facto, ipsæ redierunt, ſuppurarunt & ſanitas ſequuta.

## §. XIII.

In febre petechiali hoc præſidium egregiæ pariter virtutis, ut eandem Io. Dan. HORSTIVS epift. medicinal. 10. vel iuramento confirmat. Ex uſu quoque eſt in febre caſtreñſi, nec non pestilentiali, præſertim ſi quicquam ſomatosi complicatur. Ipsam peſtem veſicatoriis & arceri & ſanari auctor eſt LOTTICHIUS obſ. lib. I. cap. 7. cui aſſurgit HEVRNIVS de febr. peſtil. cap. 19. cum WILLISIO de febr. cap. 13. nec non SEPTALIVS I. c. cauſt. 42. qui eadem extremis partibus, furis, femoribus & coxis applicare iuſſit, ut virulentum humorem ad inferiores partes traherent. MERCVRIALIS de peſt. cap. 26. in peſte quæ anno MDLXXVI. & ſequenti Venetiis ſæviit, inter prætantissima remedia fuſſe veſicantia teſtatur. Inprimis eorum appoſitio ad excretionem cutaneam & eliciendi bubones & carbunculos, quibus produntibus ſympotatum ſævitia conquiescere ſolet, commendatissima, cuius rei teſtes producimus RIVERIVM Prax. lib. XVII. ſed. III. cap. 1. SYDENHAMVM p. m. 281. HODGES de peſt. Londinens. & DIEMERBROCKVM de peſte. Pariter in bubone pestilentiali eadem proficua iudicat HEVRNIVS de peſt. cap. 9. nec non ab AQUAPENDENTE.

## §. XIV.

Atque hi ſunt præcipui illi morbi in quibus ratio-

ne

ne suffragante, experientia teste & peritissimorum quoque Medicorum consensu præstabilis vesicatoriorum ad iuvandum facultas. Interim quum hæc remedia ob summam agilitatem & promptam in partes exquisito sensu prædictas nervosas actionem, tam proclivia sint ad nocendum, quam iuvandum: e re utique erit, ut quasdam ad fructuosam illorum in variis casibus applicationem necessarias cautelas annexamus. Nimirum ante usum curata omnium circumstantiarum habenda est ratio, ac non modo in morbi genium eiusdemque caussas, sed & ipsius corporis ægrotantis naturam & constitutionem sollicite inquirendum, morbi quoque tempus considerandum & locus accommodus eligendus. Quod si enim corpus acutioris sensus, æger a levissima caussa animo moveretur magnasque ex facilis in corpore experitur mutaciones, si porro ætas juvenilis, regio præcalida tempestas fervida, habitus corporis strictior & macilentus, corpus succis & sanguine fartum, morbus etiam in paroxysmo & impetu constitutus, vel locus cui apponitur admodum nervosus, longe maior motuum exacerbatio cum præsentaneo damno inde expectanda, & ob id abstinere a vesicantibus tum confutius. Hinc apprime utique ad veritatem scribit AETIVS: *in segnioribus, ubi carnea moles, utile remedium vesicantia, in calidis autem & siccis corporibus & affectionibus, his ego non utor.*

## §. XV.

Deinceps ubicunque totum genus nervosum vehementibus iam agitur spasmis, ut sit in febribus, acutis præsertim & inflammatoriis, & causa exorbitantium horum motuum non tam crassa & materialis, quam potius tenuis atque subtilis, ubi vigilie assidue & deliria adsumt, vel imminent, summa inquietudo, corporis iactatio & præcordiorum anxietates urgent, multo magis si acce-

cedunt tendinum subsultus &c onvulsiones, vesicantia penitus absint. Nam nihil certius, quam ut admotis his quæ nervosas partes ad spasticas stricturas magis extimulant, nec tameu caussam tollunt, motuum impetus & anomalia cum irreparabili damno longe magis increseat & plane lethales consequantur convulsiones. Gravis hanc in rem testis est BAGLIVVS Prax. pag. 102. prohibens: *delirantibus cum febre acuta, lingua arida & indiciis magne viscerum inflammationis, si applicentur vesicantia, omnia in peius ruunt & magna ex parte moriuntur convulsi.* Idem perite monet ALPINVS de medic. method. lib. V. pag. 173. nunquam, inquiens, probare potui in acutis febribus vesicantium usum, quod colorem febrem augeant, vigilias doloremque concident & deliria induant, cætionem impediunt, non minus & motui humorum critico obsint, quum incertus sit locus ad quem, vel per quem crisis est futura.

## §. XVI.

An in febribus malignis vesicatoria conducant? vexatum inter Medicos est dubium. Et nonnulli quidem maximeque R<sup>A</sup> MMAZZINI in constitutione epidemica anni MDCCXCII. XCII. & XCIV. eadem minus proficia annotarunt, alii contra ipsa plurimum opis tulisse confringunt. Sed lis facile dirimenda. Nimirum quando pulsus exiles & debiles micant, vires languent, ad soporem inclinatio & corpora segnioris naturæ, ex usu sunt, ubi alia omnia, secus. Quare recte utique de vesicatoriorum his in febribus utilitate Aetia Vratislav. An. MDCC. pag. 64. sentiunt, si, verba habent, corpora succi plena & plethrica, nibil fere efficerunt vesicatoria, sed febres exacerbata, deliria & inflammations audie majorque organismus sanguini inductus; ubi vero humores crassi viscidi & ad soporem inclinatio, exanim attulerunt utilitatem, sed

*opus est, ut in principio statim applicentur.* RIVERIVS  
prax. med. lib. XVII. cap. 1. hanc adiecit cautionem: ut, si  
malignitas totum iam corpus occupavit, variis in locis  
simulque admoveantur, eandemque GALENI lib. V.  
meth. med. cap. 12. auctoritate confirmat.

## §. XVII.

Licet porro in variis generis doloribus, ut odontalgicis, arthriticis, eximie profint vesicantia: nihilominus tamen, quando corpus pletorium & febris acuta coniuncta, ab iis abstinentur. Idem tenendum de capititis doloribus, si ceu symptoma febrilibus commotinibus superveniunt; quando vero ab humore viscido acri pericranio & membranis cerebri inhærente oboviuntur, cum fructu, eo magis in phlegmaticis corporibus, applicantur. Si contumax capitis dolor, aut aliis affectus, amplum apponendum toti calvariae rase vesicatorium, quod quidem vesicam non excitat, copiosum tamen viscidum serosum humorem ex poris cum levamine prolicet, ut quidem disertis verbis auctor est WEPFERRVS in epib. ad LENTILIVM, inserta *Miscell. medicopract.* In ischiadico quoque dolore, ut latum applicetur & vesica per aliquot dies aperta servetur, ex usu est, quam diuturniori stimulo, quam liberaliori affluentis humoris subtractione, ipsum demum malum abigatur.

## §. XIX.

In apoplexia sanguinea, quæ spasmis infimi ventris, pulsu intenso & respiratione auctiori stipatur, vesicantia exulent: in lenta autem & serosa, senibus potissimum ab externo frigore familiaris, egregiam spondent operationem. Pari ratione cum distinctione de vesicatoriorum usu in hydrope ferendum est iudicium. SEPTALIVS quidem eadem in hydropicorum cruribus applicari posse penitus negat, & in animadv. med. lib. VII. causit.

caur. 56. fidem facit, se quadraginta annorum spatio, quo Medicinam fecerit, nullos unquam, quibus a Medicis vesicantia admota, curatos vidisse, sed semper fere gangrenas subsequutas curatu fere impossibilis. Verum in ana-scarca, hydrope subito, ut ex mensum vel hæmorrhoidum suppressione, prognato, si viscera adhuc sunt salva, vires non adeo prostratae, urina non parca & tenuis & febris quoque deest, locum habere possunt; quandoquidem ipsa natura sponte sèpè vesicas excitat & per easdem a copia seri cum euphoria sèfè liberat, tenendo tantum, quod vesicas diutius per plantaginis vel brasificæ folia aut alia, non cantharides, aperta sint servandas & humor copiosior eliciendus.

## §. XIX.

Multum etiam refert, ut congruo loco applicentur vesicantia. Quando enim stimulo intensiori & auctiori motu opus est, locis qui exquisitorius sensus & eminentius nervosi apponenda, nucha & nempe, collo, pone aures, carpis manuum & genubus: contra ea si febris adest, pulsus valide & celeriter vibrat, morbi impetus est, vel etiam per periodos paroxysmi spasmodici, convulsivi, epileptici accedunt, in inferioribus minusque acuti sensus musculosis partibus, suris, coxis & femoribus, eadem admoveare magis expedit. Nunquam etiam imponenda parti cui dolor, inflammatio & spasmus insidet, vel partibus exulceratis, quia stimulo suo dolores & pathemata exasperant, tantum abest ut levent, & semper consultius, ut non loco affecto & proximo, sed remotiori ad derivationem adhibeantur.

## §. XX.

Præsentissima quidem & maxima cantharidum ex vesicantibus facultas; sed tota quoque sua substantia, ut symptomata inde oriunda evincunt, fluidis & solidis corporis

poris nostri partibus sunt adversæ. Hinc utique quæstio non infructuosa: annon profert eiusmodi remedia, qui buscum deleteria ipsarum indoles possit corrigi, cicerari & perniciosus effectus præscindit? Nam quidem tria sunt potissimum, quæ per experientiam hunc in finem proficia innotuerunt. Primum est lac, cuius egregia cantharidum virulentiam coercens virtus præcis iam innouit. Testem citamus ARETÆVM, qui primus quasi cantharidibus externe usus est, quum HIPPOCRATES interni tantum usus mentionem faciat. Is enim in curat. diut. morb. I. i. 14. perite monet, ut triduo ante usum lacti adfuescat æger, ne vesicam lardant cantharides. Alterum ex iis quæ cantharides castigant, camphora; quæ si ipsis in pulverem tritis admiscetur, medicina emergit, quæ interne innoxie non modo, sed & magno cum fructu dari potest in lue venerea, gonorrhœa inveterata, calculo & bubonibus, ut pluribus adstruit GROENEVELT in tr. de cantharidum usu interno. Et tertium denique cantharidum correctorium acetum, quod acrimoniam illam volatilim salinam in ipsis ligat quasi & contemperat, quo minus adeo diffundi & nervosas partes exagitare queat.

## §. XXI.

Verum quia hæc antidota ita sunt comparata, ut ipsam cantharidum vim plus minus infringant & obtundant, cum distinctione utique usurpanda, ne speratus deficiat effectus, & non addenda ubi fortiori stimulo opus est. De acidis quidem MVYS in prax. rational. chirurg. Dec. II. obs. 2. observavit, quod cum cantharidibus scopo vesicante adiota, adeo hebetent earum virtutem, ut longe debiliorem edant operationem, quam si cum saliva in pastam rediguntur. Hinc quando fibræ mitius extinulandæ tantum & a validiori vellicatione periculum metuendum, utiliter cantharides cum fermento panis &

ace-

aceto destillato subiguntur; id quod maxime ex usu est in affectibus periodicis spasmoticis & convulsivis, item in febribus intermittentibus, quas idemque egregie sufflaminare solent vesicantia, quo etiam nomine ut potens antifebrile alium commendatur in Nis. Nat. Curius. Dec. II. An. IX. obs. 125. Camphora vero cantharidibus commodissime sociatur in febribus malignis, petechialibus ipsaque peste, ac tunc quoque acetum & theriae addi possunt, quorum virtus in his febribus ad corpus ab interitu vindicandum insignis. Et lac exhibere tum maxime ex usu est, quando periculosa symptomata ut mictus cruentus, vomitus, convulsiones, a cantharidum usu suscitata; quippe quod non modo causticam ipsarum acrimoniam hebetat atque obtundit, sed & ipsas fibras mulcet atque laxat, quo minus infensis spasticis stricturis afficiantur. Hinc PLINIVS iam Hist. Nat. lib. XXXII. cap. 9. & 10. lac adversus cantharides commendat, & CELSVS lib. V. cap. 27. eandem in rem scribit: si cantharidas aliquis ehibit, panaces cum lacte coctusi, vel galbanum vino adiecto dati, vel l. c per se debet.

## §. XXII.

Postremo monendum etiam est, quod non semper opus fit iis, quæ vesicæ elicunt; sed quod sèpius sufficiant topica ex paullo acrioribus parata & lenius stimulantia, in primis si locis in quibus acutior sensus, ut nuchæ, carpis manuum & p'antis pedum applicentur. Celebrantur hæc passim phænigmorum, rubefacentium, sinapisinorum, epispasticorum & attrahentium nomine, & a vesicantibus gradu tantum differunt, haud secus ac laxantia a purgantibus, diaphoretica a sudoriferis, errhina a sternutatoriis, longe tamen securiorem his præstant effectum. Quare si vitium levius & desiderata operatio mi-

C 3

tio-

tioribus his impetrari potest; hæc adhibere utique magis erit. Optima autem ex iis, quæ hunc in finem commendantur, sunt semen sinapi, piper album, allium, sal volatilē cornu cervi, sal ammoniacum, caryophylli, terebinthina & fuligo, item theriaca, quæ in epithematis veleoplastri formam redacta, in contumaci quartana, carpis maruū, in podagra & arthritide, ipsis locis affectis, in febribus malignis, plantis pedum, in motibus convulsivis & epilepticis, itidem plantis pedum, vel etiam nucha, summo cum fructu ad moveri possunt.

### §. XXIII.

Alius adhuc exquisitæ sensationis locus, cui cum omnibus nervosis partibus consensus intercedit, est sub axillis, ob grandiores ibi discurrentes nervorum ramos, glandulas nerveas & cutem superinductam admodum tenuem. Huic minus commode & non sine periculo gravioris noxæ imponi possunt vesicantia, quam optime vero stimulantia, inter quæ ceu tutissimum merito connumerandum semen sinapi, quod linteo tenui inclusum, balsamo vitæ irroratum & sub axillis gestatum, ex frequenti observatione D. D. PRÆSIDIS in affectibus capitis, qui ex atonia membranarum & vasorum humorumque stagnatione proficiuntur, ut quidem sunt affectus epileptici, paralytici, cephalalgia serosæ, tinnitus aurium, auditus difficilis, oculorum via & defluxiones, insultus vertiginosi & apoplectici, præstabilem confort opem. Ita enim & rubefacientia operationem suam exsequuntur, ut oscillatorium nervosarum fibrillarum motum stimulo suo intendendo, impellendis & dimovendis stagnantibus non modo serviant humoribus, sed & motus vitiosos loco cuidam incumbentes derident & aliorum divertant. Hinc etiam ubi nervis robustis addendum & ipsarum motus resuscitandus, comode

modo nervinis & balsamicis sociantur, iisdemque sic locis nervosis, plantis pedum, carpis manuum & sub axillis appositis, efficacior & magis penetrans emergit operatio. De qua tamen non est ut in hac vesicantium consideratione pluribus differamus;

## FINIS.

PRÆNOBILI ATQVE DOCTISSIMO  
DNO. CANDIDATO  
S. D. P.  
PRAESES.

**I**ta sane comparata est salutaris ars, ut omnium quidem nobilissima, sed difficilissima quoque censeretur. Nam quum reliquæ scientiæ, si discens diligentiam cum docili ingenio attulerit, & docentis candor accesserit, facile & quam optime comprehendи queant; medicæ tamen tam diffusus est campus, ut is demum, qui propter hæc liberalioribus opum subsidii instructus, eundem feliciter emetiri queat. Scilicet ne dicam rationali Medicinæ multas alias servire scientias, ad quas addiscendas longiori tempore, auctiori librario para-

paratu maioribusque opus est impensis: absoluta omnibus numeris eruditio medica, non uno in loco, aut ex unius ore comparari potest, sed conquirenda summo cum studio ubique a viris in eo quod coluerunt genere excellentissimis. Hinc excurrendum ad exteriores, visitanda noscomia, scrutande corporum morborumque pro climatis, aeris, situs virtusque ratione differentiae, adeundi viri in anatomicis & chirurgicis celebres, spectande cadaverum sectiones, chirurgicæ operationes, musæa rarioribus & exoticis rebus naturalibus splendentia perlustranda. Tu itaque, Candidate prænobilis, habes omnino quod de Tua gaudias forte, qui ex illorum es numero, quibus omnia ad amplissimos in Medicina profectus suppetunt aqminicula. Erectam enim & Musis idoneam indolem multis testataam fecisti documentis, in assiduitate nunquam defecisti, a præceptoribus solida tan<sup>ta</sup> theoretica, quam practica hauisisti præcepta & venerandi Dni. Parentis liberalitate habuisti omnia, quæ ad obtainendum scopum ullo facere potuerunt modo. Iam etiam meditari iter ad exteriores, istud studii medici complementum. Sed recte utique facis, quod eximia in rebus medicis scientia instructus summisque iam effectus honoribus suscipis illud. Sic enim longe facilius ad viros clarissimos Tibi patebit aditus, & ipse maiori cum iudicio & fructu que adhuc proficia conquirere tuumque convertere poteris in usum. Ego ceterum Tibi de summis quibus dignus exornaris honoribus ex animo gratulor, ac ut medicum tuum iter propitio Numinе ingrediaris, prosequaris ac in patria commodium amplissimeque familiæ gaudi um a solvas, conceptis votis excepto. Vale. Perscrib. Hale Magdeb. d. XXI. Maii. Ann. CLO LCC XXVII.

## PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. D. P.

GEORGIVS DANIEL COSCHWITZ.

M. D. P. P. O.

**D**iscessum meditaris, Præclarissime Domine Candidate! ab Academia nostra, & quidem publicum, publico actionum tuarum testimonio corroborandum. Postquam enim ultra triennium Fridericianæ nostræ a scriptus fuisti, iubente Illustri Genitore, Viro in arte nostra salutari fama, nomine, experientia ubique longe Celeberrimo, Studiorum tuorum præmia, summos Honores & Privilegia Doctoralia modestè petiisti; & quid queso Ordinem nostrum deterrere posset, quin TIBI legitima legitime petenti, ex omni parte faveat, & sicut suum cuique, sic Tibi tuum tribuat? Summa hæc Iura, summaque Privilegia, Dignissimis sunt assignata ab omni avo Ingeniis, quæ omni necessariorum studiorum doctrina imbuta, strenua ac indefessa assiduitate talia promeruerunt. Horum Tu quoque numerum implevisti: ab eo enim tempore, quo Mihi innotuisti, (quod quidem haud procul a tuo adventu factum est) singularē non modo morum modestiam, animumque probitate imprægnatum, sed summam quoque discendi cupiditatem semper exhibuisti, ita, ut fortuna favente ad meum quo-

quoque Auditorium, consentiente Venerando Tuo Parente,  
Fautore atque Patrono meo summopere colendo, cum aliis  
optimæ spei Adolescentibus ad pulsus, inseparabilem sem-  
per Auditorem assiduum Te prebueris, mihique spem sub-  
ministraveris, fore TE Virtutis, Doctrine, & Experiencie  
patriæ ex aſſe heredem fieri. Gratulor itaque TIBI de  
studiorum academicis ad finem feliciter perductis, cordicitus  
optans, ut practica studia, olim in ægrotantium solamen fu-  
scipienda, & continuanda, non nisi seris annis finem at-  
tingant suum, prospere tamen semper cedant. Gratulor  
Consultissimo Parenti de Filio optima indolis, spem optimam  
pollicente, quod DEO dante vestigia Patris premens, pa-  
ternam famam æternitati sit consecratus. Gratulor Pa-  
trix atque agrotis, de Medico prudenti, eruditu, solerti,  
conscientioso. Gratulor denique Mibi de Auditore morum  
probitate egregio, assiduitate præclaro, in conversatione  
amantissimo, suavissimo. Quod restat, Canditate Præstan-  
tissime! Summum Numen obnixe rogito, ut non modo It-  
neri, quod suasu Parentum & summatissimorum meditaris,  
sed cunctis denique conatibus ab alto benedicat, Teque sal-  
vam ac incolumen reducat. Me autem tuo amori, atque  
favori, cum paratissima officiorum meorum oblatione com-  
mendo. Vale! Dabam in Fridericana. D. XXII. Maii  
Anno MDCCXXVII.

**S**Ic Atavis DOCTOR succidis in Arte Medendi  
Hos, felix praxi, referas: Imitare Parentem!

Te

Te Medico, fugiant morbi; delusaque tandem  
Securas quærat latebras Libilita per orbem!

Hoc voto Doctorales in Arte Medicina hono-  
res fratris gratulatur frater.

**Henricus Sigismundus Bacmeister.**

*Smi Principis Frl. Orient. Adv. Fisci & Archivarius.*

**Q**uolibet exhausto tentamine, nactus Iason.

Vellera, longinquum cessat Ulyssis iter.  
Sic exanthlato studii, fers præmia, cursu

Atque humeros cingit purpura digna tuos.  
Macte Tua virtute, Coi sis aſſecla faustus,  
Ægris solamen, sis patriæ que decus.

*Hac gratulabundus adiicere voluit*

**D. Bruno Nettmann.**

**D**u Dich die Facultät der Ehre würdig schätz,  
Mit Ihrem höchsten Schmuck am Ende Dich  
zu zieren;

So wisse, daß dis mich nicht weniger ergezt,  
Als wenn ich sollte selbst davon den Titul führen.  
Trifft hei dem actu nun mein treues Wünschen  
ein,

So werden Du und ich gewiß nie traurig seyn.

*His paucis sincera mente gratulatur.  
Candidato Doctissimo frater I-  
psius Germanus.*

**Georgius Albertus Bacmeister.**

*J. U. Cand*

(z)

Se



**H**o frönt Hygine, nun Hochwerther, Dein  
 Bemühen,  
 Und heist ein Lorber-Reiß an Deiner Scheitel blühen.  
 Saline steht erfreut, und rühmet solchen Lohn  
 Den Dir Hygine reicht. Ein reger Freuden-Thon  
 Von Deiner Freunde Schaar, läßt sich mit Jauchzen  
 hören.  
 Denn jeder der Dich kennt, nimmt Theil an Deinen  
 Ehren.  
 Drum zahlet auch mein Kiel das Angeld seiner Pflicht,  
 Mein Kiel der voller Lust in diese Wünsche bricht:  
**Laß Deiner Ehren Schmuck sich immer**  
**schöner zeigen,**  
**Und heiß das Glück sich stets zu Deinen**  
**Füssen neigen.**

*Hic secundum prenobilissimo Doctissimo Candidate,  
 Ami et summatissimo de summis in me-  
 dicina honoribus pia mente gratula-  
 tur*

**Adolph Friderich Stollen,**  
 LL. Cult.  
 Haga-Schaumburgicus.



## DISSERTATIO IVRIDICA

DE

# AVSTREGIS ORDINVM S. R. I.

ALIORVM QVE  
IMPERII MEMBRORVM  
PRAECIPVE  
LIBERAE S. R. I. CIVITAT. MEMMINGENSIS

QVAM  
 RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

## ERNESTO AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE  
 ET WESTPHALIAE, RELIQA

CONSENTIENTE

ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINE  
 P R A E S I D E

### IOANNE ANDREA HOFFMANNO

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE  
 PRAECEPTORE ATQVE HOSPITE SVO

PIA VENERATIONE PROSEQUENDO  
 PUBLICAE VIRORVM ERUDITORVM DISQVISITIONI

SUBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS  
 MELCHIOR EGENOLPHVS DE SAYLER à PFERSHEIM,

MEMMINGA - SVEVVS.

DIE VII. NOV. A. R. S. CIO IO CC L.

I E N A E  
 CVM LITTERIS TENNEMANNIANIS.